

Dissertatio inauguralis medica de purpura quam ... / defendet auctor et respondens Allen Swainston.

Contributors

Swainston, Allen.
Haller, Albrecht von, 1708-1777.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Typis Jo. Christoph. Ludolph. Schultzii ..., [1752]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ruhw2ywh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
P V R P V R A

Q V A M
DIVINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
D. ALBERTO DE HALLER

CONSIL. AVL. ET ARCHIATRO REG.
MED. ANAT. CHIRVRG. BOTAN. P. P. O.
SOCIET. REG. SCIENT. GOTTINGENSIS PRAESIDE PERPETVO
ACAD. ET SOC. IMP. ET REG. LOND. BEROLIN. BONON.
SVEC. VPSAL. ET GALL. CHIR. SODALI
SVPREMI SENATVS REIPVBL. BERNENS.

DVCENTVM VIRO

A D
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORIS MEDICI
IMPETRANDA

DIE XXV. OCTOBRIS MDCCLII.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS


ALLEN SWAINSTON

ANGLO-BRITANNVS.

~~~~~  
G O T T I N G A E

TYPIS IO. CHRISTOPH. LVDOLPH. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGRAPHI.





## §. II.

Distinguitur in rubram & albam. Illam faciunt exanthemata, exigua, quae nihil humoris conspicui in se continere videntur, sed nodulorum instar emergunt, cutem asperam reddunt, & cum pruritu & punctationis sensu coniunguntur. His fere similia sunt, & sub hac specie comprehenduntur alia, quae paulatim humorem subalbidum concipiunt & prioribus plerumque sunt commista.

Alba dicitur, quoties exiguae vesiculae humore subalbido ab initio statim plenae, conspiciuntur: & haec est illa species, quam miliarem vocant. Aliae sunt, quae limpidissimum continent laticem, nonnunquam numerosissimae; has vocant crystallinas, quae tamen rarius in principio & solitariae, sed sub incremento morbi superuenire conspiciuntur, eumque difficiliorem fore denotant. Interdum denique latioris ambitus visuntur vesiculae, in quibus contentus humor,



mor, adeo nonnunquam acris est, vt subiacentem cutem exulcerare potis sit. Omnes hae species paulatim siccescunt, & cum cutis desquamatione, disparent.

### §. III.

Purpura porro dispescitur in Acutam & Chronicam. Iterum acuta in benignam quae leuioribus symptomatis comitatur, & felicem plerumque fortitur exitum; & in malignam, secedit, grauioribus & anomalis symptomatis stipatam. maxime periculofam & saepissime lethalem. Obseruatum est, rubram generatim, minus esse, quam alba periculofam, haec enim semper maligna censetur.

Chronica, quam scorbuticam vocant, nonnunquam per plures menses, imo annos integros, sine magno incommodo persistit. Saepius tamen, paruis interuallis, molestis suis symptomatibus, velitatione quadam hominem infestat. Quocumque ve-



rum modo sese gesserit, semper suspecta haberi debet, & quamprimum exterminanda.

### §. I V.

Causam huius morbi omnes, acrimoniam agnoscunt, quam tamen diuersam, pro diuersa morbi specie statuunt nonnulli. Sic in alba lympham acido-vappidam, in rubra serum salinum & sulphureum accusat, Illustr. HOFFMANNVS (a); hinc homines sanguineos rubrae, contra vero phlegmaticos albae magis obnoxios esse dicit.

Inter causas Purpurae albae seu miliaris, porro varia enumerantur. Illustr. HAMILTON obstructioni siue vlceri in aliqua parte cum dolore, eam superuenire dicit. Partium sensibilibus iniurias eam sequi, adductis aliquot exemplis, testatur Ill. WERLHOF (b).

Item

(a) De Purpura.

(b) Obi. de Febris S. VI. §. VII. n. g.



Item eos, quibus naturalis, vel consue-  
ta aliqua euacuatio supprimitur, huic ma-  
lo obnoxios esse, obseruatur; vti mensium,  
haemorrhoidum & in puerperis Lochio-  
rum obstructio & secundinarum retentio.  
In his tamen saepissime oriri obseruatur,  
ab iniuria vtero illata, quando nempe ni-  
mia vi placenta extrahitur, vti expresse no-  
tauit Illustr. WERLHOF l.c. Vix vidi, inquit,  
in puerperis, purpuram illam quam vocant,  
(si vnam phthificam conclamatam & alte-  
ram arthriticam, & alius labis vlcerosae su-  
spectam, quae conualuit, & paucas alias fe-  
liciter emergentes, excipiam,) nisi vbi dif-  
ficilius extractam secundinam percepi.

§. V.

Febrem miliarem puerperis magis esse  
familiarem plerique consentiunt: Non esse  
perpetuam, demonstrat Lipsiensis illa, quae  
tanta saeuitia, grassabatur, in qua rubra ple-  
rumque fuerunt exanthemata, testante

WEL-



WELSCHIO (a), alba tamen quoties appa-  
ruerint, magis periculosa fuisse dicit. Et  
ex quatuor vel quinque puerperis, quarum  
historias tradidit Celeberr. HOFFMANNVS, ne  
vnica quidem est, cui exanthemata alba sola  
fuerunt sed rubris commista omnibus: contra  
fuisse iuuenem robustum scribit, sangui-  
neum, cui sola alba exanthemata fuerunt.

### §. VI.

His de Purpura, eiusque differentiis  
praemissis, de specie eius, quae apud nos  
praecipue grassatur, nunc est dicendum. Haec  
plerumque lentum habet decursum, feбри-  
cula tamen coniungitur, quae nonnunquam  
quotidianae remittentis vel intermittentis  
typum obtinet, exacerbationes vel accessus  
vespertinos perpetuo tamen patitur. Non-  
nunquam tertianae typum fortitur, hinc  
sub specie febris intermittens medentem  
interdum fallit.

Hae

(a) Hist. Med. de nouo puerperarum Morbo.





Hac febre laboraturi, de insolita quadam, & citra manifestam causam corporis lassitudine & debilitate conqueruntur, pigri quasi fiunt, & non sine molestia consueta munera obeunt, interim vix sibi aegrotare videntur. Caput interdum grauatur, somnus inquietus est; Pectus angitur, vnde frequentia suspiria; dolent praecordia, dolores vagi nonnunquam valde molesti corpus & membra pererrant; nunc horrore concutiuntur, mox subsequitur calor breui iterum euanescent, cum vultus rubore & pallore vicissim alternantibus; extrema frigent, appetitus prostratus est, cum cibi fastidio, nausea subinde & ardore ventriculi. Et sic per intervalla nunc melius, nunc peius sese habentes, plures dies nonnunquam trahunt, antequam decumbere cogantur. Procedente tempore tamen omnia ingrauescunt; febricula obrepit, pulsus debilis est, & intermittens; urgent vigiliae, vanae imagines & mortis formido miserum terrent; accedit levis desipientia



tia vel delirium. Tandem tertio, quarto, vel quinto die post decubitus, nunc citius, nunc tardius, exanthemata cum copioso & foetido sudore, & bona spe, prorumpunt, nam tunc omnia symptomata leuantur, vrina tenuis antea, turbida euadit & hypostasim rubicundam deponit, salutisque breui futurae spes effulget; verum plerumque post vnum alterumue diem, symptomata redeunt, nouamque eruptionem certissime praenuntiant: & hoc non semel fit, sed ad plures vices nonnunquam repetitur, antequam materia noxia integre queat expelli. Hinc maxime cautos nos esse oportet, ne fallaci hac Crisi decepti aegrum prope nimis e lecto, cuius forte iam valde pertaesus est, surgere permittamus, vnde strictis cutis spiraculis perspiratio cohibeatur, & noua eruptio, quae potius expectanda fuisset, impediatur, sicque pessima symptomata, qualia sunt enormes anxietates, respiratio difficilis, delirium & conuulsiones oriantur, vel ipsa mors improuisa superueniat.

Non-



Nonnunquam sub apoplexiae, paralyseos, epilepsiae vel lethargi forma latet haec febris, donec sudoribus obortis exanthemata prorumpant, & tunc, verus morbus larua deposita propria facie incedat.

§. VII.

Supra iam diximus febrem hanc plerumque lentum decursum habere, interim tamen nonnunquam acuta est, scilicet, quae cito hominem tollit, vel ipsa cito finitur, quo in casu vel pessimis symptomatibus stipatur & maligna est, vel valde lenis. Etenim nonnunquam adeo mitis est, ut vix medicina opus sit, nihil aliud requirens, quam ut aeger in lecto se contineat, idoneisque poculis salutarem eruptionem promoueat, & sic intra breue tempus finitur. Interdum vero tam malae indolis est, ut nullo modo prohiberi queat, quin hominem cito iugulet. Quantumvis fuerit mitis, raro tamen intra tres septimanas aeger ex toto conualescit.

B

§. VIII.



## §. VIII.

Vix ullam stabilem differentiam faciunt exanthemata, quae plerumque sunt exigua, rubescentia, in summa cute conspicua, quae collum imprimis & pectus obsident, deinde per totum corpus paulatim disseminantur cum pruritu & molesto punctationis sensu, & cutem digito tangentis asperam reddunt, qua asperitate sola nonnunquam dignoscuntur, adeo sunt exigua; his interspersae sunt interdum pustulae albicantes istae, interdum crystallinae.

## §. IX.

Ex hac descriptione patet, hanc febrem esse purpurae speciem ad chronicam tamen potius quam acutam accedere.

## §. X.

Quamuis nonnullae febres plura inter se communia habere possint symptomata,  
atta-



attamen uti alia atque alia pro diverso corporis habitu & humorum vitio generatur febris species, ita unaquaeque proprias quasdam & sibi peculiares habet notas; sed quia non semper in principio medico innotescunt, difficillime nonnunquam distinguuntur, & sic perversa curatio institui potest. *Similitudines enim parere errores etiam bonis medicis*, monuit sapientissimus medicinae praeceptor HIPPOCRATES (a). Etenim aliae repetitam sanguinis detractionem, medicamenta refrigerantia & victum tenuissimum requirunt, aliae minus; Sunt quae hanc medendi methodum prorsus respiciunt, & ubi prorsus exitio est. Sed cum nulla forte febris sit aequae mutabilis, vel quae hanc medendi viam magis recusat, quam haec purpurae species, quam nunc versamus, quomodo a nonnullis, quibuscum convenientiam habet, distinguatur, nunc est dispiciendum.

## §. XI.

(a) Epidem. l. VI. sec. VIII.



## §. XI.

Et quidem a variolis & morbillis differt, eo quod in illis febris plerumque concitatiores fit, calor intensior & capitis dolor acerbior & absque remissione ad eruptionem usque perdurent. Variolae quasi maculae rubrae apparent, in dies magis attolluntur & multo maiores quam exanthemata in purpura fiunt. Morbili sunt multo ampliores & minus asperi. Faucium ardor & asperitas, rauco, destillatio & generatim exanthemata differentiam faciunt inter catharrhalem & purpuram. Paulo difficilius est inter hanc & lentam neruofam distinguere ante exanthematum eruptionem, sed quia eadem medicamenta possunt ubique conuenire, non adeo pertimescenda est earum confusio. Exacerbationes vespertinae, sudores remissionis tempore eorum, foetor peculiaris, symptomata hysterica vel hypochondriaca, exanthemata & corticis inefficacia hanc febrem ab intermittentibus fati-

tis



tis distinguunt. Affectionem hystericam & hypochondriacam adeo nonnunquam aemulatur, vt praeter iucundas fabulationes, symphonias, taliaque ad tristes cogitationes discutiendas, nihil requiri, amici & adstantes sibi persuadeant, donec febri-  
cula & exanthemata veram moeroris cau-  
sam testentur.

§. XII.

Proxima & continens huius febris cau-  
sa est sanguis alienam à naturali sua, acrem  
& cordi infestam indolem adeptus. Nam  
siquidem cordis actio à solo stimulo sangui-  
nis excitatur, vti docet Illustr. de HALLER  
Praeceptor noster aeternum venerandus,  
eaeque eo viuiddior est, quo maior est iste  
stimulus; quoties hic quocunque modo au-  
getur, toties cor celerius sese contrahet,  
& sic motus sanguinis accelerabitur, id est  
febris orietur. Humoris acris aliquid san-  
guini inesse, docent pruritus, cutis ardor &  
erosio. Hoc tamen acre, quod cor solli-  
cit,



citat, ita massam sanguineam labefactat, eiusque commixtionem turbat, ut ea, quae ad corporis functiones requiruntur, aegre suppeditare posse videatur. Et quidem nervos munere suo non recte fungi, probabile facit vniuersa illa musculorum debilitas, unde lassitudo, corporis languor, & anxietas. Et haec forte ratio est, quare cor, quamuis magis irritatum, ut credibile est, debilius sese contrahat, unde pulsus naturali celerior, tamen plerumque debilis est. Excussa enim & per cutim eliminata materia illa morbifica omnia symptomata leuantur. At si reliquiae eius aliquae fuerint, paulatim novas turbas cient, & sic toties agitur idem drama, donec ex toto expulsa fuerit.

### §. XIII.

Laxi corporis habitus homines huic malo prae caeteris obnoxios esse, generatim obseruatur. Hinc quaecunque valent talem inducere statum, & eodem tempore humoribus acrimoniam inducere, inter causas antece-



tecedentes enumerari possunt; Sic qui vitam nimis sedentariam viuunt, nimis acri studio, sollicitudine diuturna, tristitia & vigiliis vires corporis labefactant, & eodem tempore carne sale & aromatibus condita nimis sibi indulgent, & in aere impuro degunt, hoc mali genus inter alia experiuntur.

§. XIV.

Quoad prognosin inter mala signa sunt virium insignis prostratio, enormes anxietates, mentis alienatio, tremores, conuulsiones; omnium pessima vero sunt sedes cruentae, sanguinis sputum, petechiae seu maculae liuidae.

§. XV.

Quandoquidem solennis huius febris solutio per cutem fit, & quidem per materiam exanthematicam, ita curatio eius, hanc salutarem eruptionem promouendo optime per-



perficitur. Et hoc quidem inter omnes constat, siquidem praeter temperantia & demulcentia, lenia diaphoretica & bezoardica nunquam non commendant. Quae quidem in principio, & ubi vires non multum franguntur, semper adhiberi debent. At quoties haec ad cordis & arteriarum actionem suscitandam, sicque debitum motum sanguini conciliandum parum efficacia sunt, tunc certe fas est valentiora in usum reuocare, uti sudorifera mitiora, cardiaca & antihysterica. Radix Valerianae sylvestris, crocus, mixtura simplex, Mithridatium, Confectio Raleighhana, camphora, castoreum, myrrha, Tinctura Valerianae volatilis, miram praestant opem. Horum usum indicant virium languor, magna anxietas, pulsus debilis, extremorum frigus, & quidem eo magis, quoniam haec symptomata fere semper exanthematum eruptionem praefagiunt. Cessantibus his symptomatibus non amplius insistendum erit hisce medicamentis; attamen ut noxiae materiae liber exitus pateat,



pateat, modica diaphoresis foueri debet. Quem ad finem stragula lanea vice linteorum magno cum fructu vsurpantur.

§. XVI.

Modici sudores hoc in morbo nunquam non vtilis sunt, non solum, quatenus eruptioni velificant, sed quia semper aegro leuamento sunt, quare eos quoque aliquid noxii è sanguine ferre credibile est, quod probare videtur peculiaris & plane detestabilis eorum foetor; nonnunquam quidem valde copiosi sunt, sed ne tunc vlllo modo temere cohiberi debent. At ne periculum incedat animi deficientis, sorbitionibus ad vires sustentandas idoneis prospiciendum est.

§. XVII.

Quamprimum ergo morbus hic inuasit ac cognitus fuit, si neque plethoricus homo fuerit, nec peculiari aliquo symptomate laboret, quod sanguinis detractio-

C

nem



nem requirat, statim in lectum se recipiat, ut sudor eliciatur, qui potu feri lactis vinositenuis, vel ptisanæ, pauxillo vini affuso, promouendus est: Aeger interim minime e lecto surgat, sed supore finito mutantur indusia, omni tamen adhibita cura, ut vitetur refrigeratio.

### §. XVIII.

Si fortè rigor summus & artuum frigus, ut saepe fit, aegrum prehenderint, applicentur statim aut cruribus epispastica, aut totis pedibus cataplasmata ex mica panis, adiecta quinta parte pulueris sinapeos, & uti in hoc casu, ita in vniuersum fere vesicatoria larga manu, furis praecipue applicata & subinde renouata in hoc morbo apprimere vtilia sunt. Interim summa cardiaca minime sunt negligenda, sed modicis dosibus saepius praebenda, uti Tinctura Valerianæ volatilis, confectio Raleighana, vinum generosum, vel viperinum; nam si  
vel




breui non rediret calor artubus, de aegro  
conclamatum esset.

§. XIX.

Quamuis venae sectio, vti iam innui-  
mus, locum habere potest, quoties scilicet  
symptomatibus pleuritidis vel peripneumo-  
niae, vel partis alicuius internae inflam-  
mationes adsunt, attamen in genere obser-  
uatum est, hanc febrem sanguinis missio-  
nem aegre ferre, ergo semper cum caute-  
la adhiberi debet. Neque aluum ducentia,  
quantumuis lenia, temere propinanda sunt,  
nam plerumque aegri vires nimis labefa-  
ctant, anxietates & animi deliquia accer-  
sunt, sub finem vero conducunt. Interim  
tamen aluum subinde leni iniectione laxare  
oportet. Diarrhoeae, si qua superuenerit,  
& virum iacturae metum faceret, oppor-  
tune occurrendum est. Cortex peruia-  
nus, nobile illud febrifugum, in principio

non





non temere vsurpandus est, circa finem vero & post finitum morbum, ad fibrarum tonum restituendum, & recidivas praecauendas multum valet. Si a praepostero eius vsu anxietas cum spirandi difficultate oriatur, oportebit clysmate, vel medicamento laxante per os sumpto, per inferiora ducere & sic rem restaurare.

§. XX.

Quod ad victum pertinet, scire licet, eum non nimis tenuem esse debere; Cibos leues esse oportet, concoctu faciles, bonum succum praebentes, cuiusmodi sunt pullo- rum gallinaceorum & vitulorum iuscula, eorum caro elixa, vel etiam nonnunquam versus finem assa tuto concedi potest. Cibus tamen ea moderatione sumi debet, vt vires reficiat, non vt copia grauet. Item- que vinum modica quantitate, aquae vel ptisanæ mistum tuto propinare licet.



CLA-



CLARISSIMO VIRO  
ALLEN SWAINSTON

DVNELMENSIS

CANDIDATO MEDICINAE

ALBERTVS HALLERVS

S.



*ideo Vir Clarissime molestum TIBI  
fuisse, quod interclusus otio, adque  
certos non menses, sed dies adstri-  
ctus, non potueris argumentum TIBI sume-  
mere inauguralis speciminis, quale, laudabili  
certe conatu, plerique amicorum meorum sibi  
sumunt. Soleo, uti nosti, quaestionem ali-  
quam*



quam difficilem aut litem non vulgarem physiologi-  
ci, aut anatomici generis decerpere,  
quam litem experimentis in vivis corporibus  
animalium, aut factis in cadaveribus humanis  
sollicitis dissectionibus expediant, & lucem ob-  
scuris artis partibus adferant. Ad anatomen  
Ill. MECKELII, Clar. ASCHII,  
WINCKLERI, AVRIVILLII, VOSSII,  
NOREENII, SCHOBINGERI, ad experi-  
menta vero ZINNII, FOELICIS, ZIM-  
MERMANNI, ALBRECHTI, REMI,  
aliorumque specimina pertinent, praeter nu-  
merosa ea argumenta, quae nunc maxime in  
Theatro nostro quotidianis laboribus exer-  
centur. Ita enim semper mihi visum est, si  
ullo modo id cum rebus candidati conciliari  
potest, honorificum ipsi esse, si proprio studio  
inaugurale specimen elaboraverit, neque  
speciminis nomen mihi satis verum vide-  
tur, quoties candidatus alienae industriae  
fetus unice voce sua & horulae auda-  
cia tuetur. Deinde, si ipsum decet aucto-  
rem esse scripti, de quo disputandum est,  
etiam id mihi sequi videtur, ut argu-  
mentum sumat, quod ornare possit & in-  
quo



quo liceat inventis addere. Verum natura ita liberalis est, ut nunquam absque responsione discedat, qui eam, beneficium veri matrem, Oraculum à DEO inspiratum, consultum iverit. Sed maius est, quod ab eo consilio spero. Multa sunt, de experimentorum imprimis anatomicorum genere, quae plurimo otio indigent, & humilioribus quibusdam curis, in emendis, custodiendis curandis animalibus, quae Doctorem curae academicum, aliis immersum negotiis, temporis fere semper egenum, si tempore uti voluerit, obruerent utique mergerentque. Possunt ergo vere per candidatos aliqua confici, quae minus a Professoribus expectes, dum tempus, patientiam, industriam voluerint impendere, & ea ratione revocari credidi disputationum solennitatem ad eum finem, ad quem scientiarum academiae constitutae sunt, ad inveniendum, ad definiendum de obscuris litibus, ad perfectionem plenam singularum partium verum. Et quis non laudet MEKELII aut ZINNII, aut aliorum ex amicis, quos excitavi, labores!

Verum



*Verum* id incommodi cum hac ratione honores merendi coniunctum est, quod tempore multo egeat, & fere duobus annis, aliquando etiam pluribus hiemibus opus sit, ut aliquid nascatur, quo una veri provincia plene descripta sit. Repetenda sunt, uti nosti, experimenta, quorum parcitas plerorumque errorum in Physiologia inque Anatomia fons sit. Per ipsos deteriores successus solemus ad veros penetrare, aque viis percussis, quae in errorem ducunt, in veram regiam, exhausta regione reduci. Varietas etiam quasi naturae multa demum repetitione descriptionum exhauritur. Hoc incommodum per rationes vitae humanae non raro fere inuitum est. Ita TIBI contigit suavissime SWAINSTON. Non TIBI, sub optimis Angliae Galliaeque Praeceptoribus formato, aut industria defuit aut patientia laboris, quem ego dudum soleo inter exempla citare morum, quales in iuniori Medico desidero. Tempora autem TVA iubent TE properare, & patriam, a qua multis annis abfuisti, continuo repetere. Noli adeo, ut pro laudabili TVA modestia soles, ani



mo angi, quod brevem, quod non rarissimi  
argumenti disputationem proponis: Ea de-  
mum officia nostra sunt, quibus perficiendis  
*DEVS* vires nobis concessit & otium, ne-  
que magis eum oportet dolere, qui a laborum  
constantia occasionum malignitate avocatur,  
quam eum decet angi, quem morbus oppri-  
mit. Solvimur nexu officii, quando officio  
impares reddimur. Satis ego novi, pulcher-  
rima quaeque à *TVA* peritia, tot itineri-  
bus confirmata, ab eximia *TVA* diligen-  
tia, ab industria anatomica, chirurgica &  
practica sperari posse. Abi adeo à nobis,  
siquidem *TE* non caecum fatum, sed *PA-*  
*TRIS* eiusdemque *DOMINI* voluntas  
avocat. Obsequere ducenti, & eam orna pro-  
vinciam, quam cunque *TIBI* commiserit,  
etiamsi non ea est, quam nunc in hoc *TVO*  
enitendi ardore maluisses. Fac prosis aegrotis,  
quo officio non aliud magis aut utile generi  
humano videtur, aut magis honorificum exer-  
centi. Desideratos filios reddere afflicto pa-  
renti, irreparabilem patris iacturam à de-  
solata familia avertere, conservare reipubli-  
cae



cae dignorum civium inaeſtimabiles vitas,  
adeo mihi glorioſum videtur, & viſum eſt  
SYDENHAMO, ut ad has palmas col-  
latae laureae Caesaris aut Alexandri vir-  
garum ſimiliores fiant, quibus DEVS non  
regit adeo mortales, quam punit. Et ipſe,  
qui inter homines apparuit DEVS, me-  
dendo poteſtatem ſuam fere unice oſtendit,  
quae nihil fuit, niſi efficax amor. Vale ulti-  
mum, & me, ubicunque vixeris, ama.

D. 21. Octobr. 1752.



CLA-



CLARISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

IOHANNES HENRICVS A BRVNN

HELVETO-SCAPHVSIANVS

M. C.



*maxime quidem fui gauisus, cum TE  
Amice suauiſſime ſaluum ex Brittannia  
reducem viderim; multo autem magis  
nunc gaudeo, cum TE merita, pro indefeſſo TVO  
labore, accipere praemia videam; TE nec nocturnae  
vigiliae nec alti maris pericula, nec mors ipſa, qua in  
bello, cui ſumma cum laude interfuisti, ſemper es ver-  
ſatus, haec omnia TE altiora ſpirantem non terrue-  
runt. Gratiffimus TE coegit animus huc redire ac ab  
eo petere praemia, cui TE plurimum debere cenſuiſti:*

*Longe*



*Longe expectata itaque mihi data fuit occasio, gratis-  
simam TEcum renouare consuetudinem, quam, si ad  
mortem usque durare posset, me semper inuiolatam ser-  
uaturum fore sanctissime polliceor. Cum autem TE for-  
tuna in Patria expectet, magno cum dolore TIBI dico  
Vale, optoque ut summus Archiater, TE, post felicem  
in patriam reditum, omnibus, quae ipse exoptas, bonis  
cumulet, TIBIque omnia pro voto fausta fortunataque  
accidant. Ne autem longinquitas locorum, nec temporis  
memoriam Amici TVI fidelissimi debeat, summa cum  
observantia abs TE peto. Vale.*

